



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLV. Irrisio Veritatum Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ferreos, omnia tamen penetravit, & confregit, aperiens cælum, & opus divinum perficiens. Denique & agilitatem habet anima, quâ potest evolare in altum, & ferri quocunque amor voluerit. Crucifixus totam obtinet, ac pauper cum sit, omnia possidet, ac depressa regnat in toto mundo; quia in omnibus rebus amat JESUM Christum crucifixum, qui hoc docet.

*Actus hu-
militatis.*

O quàm ego sum vilis ac terrenus, Domine animæ meæ, cum his veritatibus, quas doces in cruce! Ideo, Deus meus, abjicio me ad pedes ejus, petens misericordiam. Comedant sanè dilecti Filii tui hunc panem divinum integrum; mihi verò terreno & pauperi catello domûs tuæ projice micæ, ut satier illis cum Cananæa, & evadam talis, ut assurgere possim tandem ad puritatem Spiritûs. Da mihi, Domine, Spiritum crucis tuæ, lucem æternarum istarum veritatum, & ardentem tui amorem, ut, mi crucifixe JESU, non amplius hinc recedam. O amor! ô suavitas superna! ô mea perfecta spes! ô vita animæ meæ, exaudi me, & muta me in Spiritu tuo nunc, & in perpetuum. Amen.

Æ R V M N A X L V.

Irrisio Veritatum Christi.

I.

*Opprobria
Redempto-
ri illata.*



Abuit Christus Dominus noster toto passionis suæ decursu quoddam genus molestiæ gravissimæ, quod aliquoties tactum in præcedentibus, hîc propriè considerabimus, quia maximè fervebat ultimis horis in cruce. Fuit hoc, videre & audire irrisionem suæ personæ atque doctrinæ: quâ undique fuit vexatus in cruce. Nam qui præteribant, qui eum custodiebant, qui cum eo crucifixi erant, Sacerdotes, Principes, Judæi, omnes irridebant eum, & blasphemabant: interea mitis Agnus audiebat omnia tranquillè, sed non sine tormento gravissimo. Sustinuit nocte præcedentè indignissima duo ludibria. Primum in ædibus Caiphæ, ubi velatis ejus oculis & alapis impactis, quasi falsum Prophetam divinare jusserunt, quis eum percusserit: quia fuerant experti, illi omnes cogitationes & intima sua patère, neque posse eum capi vel decipi, sed omnes suas inventiones in irritum cecidisse cum eorum pudore: quare

cum

*In domo
Caipha,*

cum haberent illum jam in sua potestate, voluerunt se ulcisci, & audacius insultaverunt ejus divinæ sapientiæ, Et ut fratres Iosephi, cum in manus eorum venisset, volentes eum occidere, non alio nomine compellaverunt, quam somniatoris, in contemptum veritatum, quas prædixerat: ita hi per ironiam ac derisionem sapientiæ plusquam humanæ, quam Dominus ostenderat, vocaverunt eum Prophetam. Scilicet assueti cæcitati animæ, & nepotes eorum, qui velaverunt olim faciem Moyse, quòd lumen ex Dei congressu ab eo refulgens intueri non possent; etiam divinam hanc lucem Domini non ferentes velaverunt oculos ejus, & ipsi in sua cæcitate manserunt. Verùm ille, quamvis ejus prospectus nullò velo posset impediri, non tamen potuit non gravissimè sentire, tum hanc injuriam, quâ tractabatur ut falsus Propheta, & Magister falsitatis; cum etiam veritatem accipiebant pro mendacio, & suos conatus nitebantur perducere ad finem intentum.

II. Altera subsannatio fuit in domo Pilati, ubi oculis aper-
tis, in veste purpurea, cum corona spinea, & arundine in manu, colaphos infligentes milites eum salutârunt, ut fictitium Regem; quod fecerunt tanta cum impudentia, & insolentia, ac si notorius scurra, vel proditor esset. Dominus autem quasi convictus esset imposturæ, sustinuit omnia, & liberum cursum permisit mendaciis inimicorum, licet facillimè posset ostendere, se esse verum Regem cæli & terræ, & ad obsequia, cultum, nutumque suum adigere omnia elementa, & universas creaturas. Sed quia jam permiserat habenas furentibus ventis, ad excitandos contra se fluctus tribulationum, noluit quidquam dicere, vel facere in sui defensionem, quo mitigarentur sui dolores, vel minuerentur injuriæ. Ad has duas insigniores injurias adjungendæ sunt omnes accusationes, & falsa testimonia contra eum producta coram Judicibus; totaque profana & ignominiosa ejus divinæ personæ tractatio, & raptatio per plateas urbis Jerosolymæ. Quæ omnia spectabant ad conculcandam opinionem sanctitatis illius, ac demonstrationes, quas pro sua Divinitate ediderat plurimas, luculentissimas; & obscurandam veritatem ejus cælestis doctrinæ.

III. Sed posteaquam fuit affixus cruci, dum in ea pende-
ret, tot irrisiois & contemptus modos pertulit, ut aliqui cen-
seant

*In domo Pi-
lati.**Irrisiones in
cruce.*

feant hoc in tota passione fuisse illi gravissimum omnium. Etenim id magis dolet, quod magis sentitur. Cur autem Dominus hos despectus magis sentiret, majores habuit causas. Licet enim omnia alia tam dira fuerint, ut singula viderentur summa, neque cum ullo posse comparari: nihilominus isti contemptus videntur omnibus anteposendi: quia cruciatus, præter dolorem corporis, etiam id habent, ut appeti possint amore patiendi, & patiando demonstrandi amorem, & sic fiunt instrumenta gloriæ, quæ pluris æstimatur, quàm dolor. Sed blasphemia contra Deum, oppugnationo veritatis æternæ, proculcatio divinitatis & majestatis Filii Dei, tot signis demonstratæ, sunt ejusmodi, ut licet ex iis Deus nôrit elicere aliquid boni, tamen ex natura sua intimè tangant honorem Dei: & licet justa ex causa possint sufferri, nullo tamen modo possunt appeti, sed semper debent odio esse tanquam detestabilia. Cùm igitur Christus esset summus Zelator honoris divini, pro quo & moriebatur, ita torquebatur illis injuriis Dei, ut majorem patientiam in iis tolerandis exerceret, quàm in omnibus aliis tormentis: hæc enim suavia faciebat amor, in illis autem nihil inveniebat, quod non abominaretur. Qui parùm expertus est in hoc genere, intelligit quantò majore patientiâ sit opus ad sufferendum contemptum & irrisionem, quàm ad alias misérias vitæ.

*Innocenter
pati summa
vixit.*

Quia pati pœnam pro commissa culpa docent justitia & conscientia: pati verò innocenter, & haberi pro malo, cùm sis bonus, etsi videatur intolerabile, multis tamen & efficacibus argumentis facillè fuit sanctis hominibus, ut etiam eo gauderent. Sed videre irrideri puram & catholicam veritatem, tantò majorèm sensum ac dolorem parit, quantò major est amor Dei, & perfectior zelus honoris illius, ut plusquam heroicum sit hoc tolerare. Christus autem toleravit cum silentio, ac si nihil sentiret: sensit autem sine dubio magis, quàm ullos cruciatus corporis sui, quantò magis Deum, quàm suum corpus amavit.

IV. Sicut Christus in cruce, inter latrones, quasi scopus fuit expositus malitiæ, odio, inepto judicio quorumlibet, etiam vilium hominum, ita quisque contra eum est ausus quidlibet. Qui præteribant: *Blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes:*
vah,

Matth. 27

vah, qui destruis templum Dei; & in triduo illud readificas: salva
 temetipsum; si filius Dei es, descende de cruce. Calumniantes per
 hoc ejus miracula, quibus multos curaverat, ac dictum ejus de
 templo corporis sui traduentes ad templum lapideum: quasi ni-
 hil posset eorum, quæ dixerat; & quæ fecerat, non verâ virtute
 fecisset, sed per illusionem vel diabolum. Similiter & principes
 sacerdotum, cum scribis, & senioribus illudentes dicebant: *Alios*
salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, de-
scendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in DEO, liberet
nunc, si vult, eum: dixit enim, quia filius Dei sum. Sed & popu-
lus cum illis dicebat: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est
Christus DEI electus. Illudebant autem ei & milites, acceden-
tes, & acetum offerentes ei dicebant: Si tu es Rex Iudeorum, sal-
vum te fac. Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, im-
 properabant, & convitiabantur ei: quod quidem alter eorum cum
 tanta insolentia & improbitate fecit, ut alter facti pœnitens non
 potuerit se continere, quin graviter illum reprehenderet.

V. Augebatur non parùm despectus ex modo, quo factus
 est; neque enim poterat esse absurdior. Latro convitiabatur
 cum rabie ex impatientiâ sui cruciatûs. Populus despuebat cum
 risu & cachinnis amaris, varia maledicta miscendo. Sacerdotes
 cum fastu, elatione, & gloriatione obtenti sui finis & victoriæ,
 odiique sui per hoc facinus probati populo. Prætereuntes mo-
 vebant caput, eò quòd tandem veritas appareat fraude detecta,
 quam demirabantur, & exaggerabant, potuisse tam diu celari,
 mundo tot signis decepto. Quæ omnia licet Evangelistæ paucis
 describant, facile est cogitare, à gente tam ingrata & malitiosa,
 ex odio, quo ferebantur in Dominum, summa cum licentia, pri-
 moribus præeuntibus jactata fuisse alia in illum prorsus infanda &
 indigna relatu. Ibi repetiverint Pharisei suum illud, quòd dæmoniũ
 habeat, & impostor Samaritanus sit, qui opè diaboli signa fecerit:
 alii exprobraverint solitudinem ejus, cum tot millia solita sint
 eum sequi: alii petiverint, ut prædicaret sibi nunc cælestia, quæ
 cum gustu vellent audire: repetiverint sigillatim ejus miracula,
 interpretando illa cum diabolicis blasphemis: populus laudârit

prudentiam ac dexteritatem principum, non sine adulatione gratulando illis optatum successum. Denique plura id genus effutiverint homines malitiâ, odio, vitiis pleni, in tanta convitiandi licentia, quàm possit describi: quæ quantum doluerint Domino, omnium animos intuenti, & simul gnaro veritatum suarum, nullus expresserit.

Deus charioribus amicis & mundano, ut magnis eos donis caelestibus ditet. Quia tanquam prudentissimus belli dux, generosiores gravioribus exponit laboribus, ut eis gloriæ & meritorum occasionem præbeat. Habet hoc genus pugnae contra se non modò naturam, sed sæpe zelum virtutis: unde necessarium est petere à Domino lucem veræ doctrinæ & perfectionis, ad agnoscendam generationem hanc perversam, errores ac cæcitatem eorum, qui non sequuntur semitam & exempla ejusdem, sed eorum, qui ut liberiùs in eo exercerent suam voluntatem, obstruxerunt ante omnia sibi lucem, ne viderent splendorem & pulchritudinem vultus ejus, & confunderentur ab ea. Videmus enim eos non ratione, sed irrisione & clamoribus obscurare voluisse veritatem, abusos ruditate populi, & licentiâ militum. Videmus & populum probasse facta Principum, non quia sanctiores & meliores, sed quia potentiores & callidiores erant in obtinendo suo intento, Christo nihil repugnante & vincto. Videmus persecutionem innocentis haberi pro bono regimine, opera illius reputando contraria bono communi, & studiis mundi. Videmus plenos ambitione & invidiâ; & qui minimam curam habent honoris divini & sanctitatis, maximam verò suæ vanitatis tuendæ, præcipuè se opponere Christi operibus & doctrinæ, ne per eam derogetur aliquid suæ dignitati, opibus ac desideriis: unde à potentioribus major est persecutio Domini. Videmus populum insultare Christo, non ex veritate, quam in illo expertus est, sed ex falsa interpretatione principum, atque adeò magis in eo regnare ingratitude ac cæcitatem, quàm amorem veritatis. Videmus latrones ei convitari, quia suam felicitatem reponunt in liberatione à suis tormentis, & quia non credunt

Potentiores Christum maximè persequuntur.

dunt eum esse filium Dei, propterea quod eos à cruce non liberet. Videmus denique in omnibus regnare malitiam, prævalere odium, & justum pro malefactore haberi, quod videant eum in cruce, & pro vana haberi spem ejus in Deo, quia non statim liberatur ab eo. Hæ sunt conditiones omnium persequentium bonos sub specie boni communis, & sancti zeli: his modis incedunt, & conantur obtinere suum intentum.

VII. Ex alterâ parte videmus filium Dei sic amplexum crucem, ut nulla re ante mortem ab ea possit avelli. Videmus, ut se non defendat ullo verbo: videmus, ut abscondat suam potentiam pro tempore, quo pati debet: videmus Patrem æternum non succurrere ad defendendum ejus honorem, sed permittere ut irrideant & conviciantur, quantum volunt. Videmus alterum latronem, ut primum Deus aperuit illi oculos, agnovisse divinam virtutem Domini, neque tractasse cum eo de sui liberatione, sed de admissione in regnum ejus. Videmus Dominum, qui inter hæc probra perficit opera divina, regnare in cordibus electorum, & agnosci ab omnibus gentibus, salvare peccatores, resuscitare illos ad gloriam, & damnare suos inimicos. Et sic ejus imitatores debent eum habere pro speculo; nec alio modo vincere velle, quam quo viderunt vicisse suum ducem, qui cum videtur se subtrahere & fugere, ascendit supra mundum, & vincit manifesta sua veritate. Consideremus attentè, quomodo gubernet Christus Ecclesiam, & videbimus necessarium esse, ut multi sint ejus imitatores: nam Pastor noster permittit interdum suas oves occidi, fugari, prosterni à lupis. Caput dilecti Præcursoris datur in manus adulteræ: vita Apostolorum inimicis sui nominis: & alia multa in mundo sic facit; quia videt Ecclesiam suam tunc magis florere, cum abundat exemplis virtutum, patientiæ, meritis & mortibus electorum. Nec mirum, si in domo cæcorum rex sit magis cæcus, & in domo malorum ille sit major, qui pejor: & si servi Dei luce divinâ præditi non agnoscantur, sed magis obiciantur improbis, qui dum extinguere volunt, augent eorum virtutem. Et quia propria domus ac regnum crucifixorum est cælum, permittit Deus, ut in mundo non aliter cogniti sint, quam

Ante mortem à Cruce non recedendum

requirat salus eorum, sed premantur; ut semper intenti sint in vitam æternam, quam expectant, & ipsi cognoscant suam felicitatem & honorem pendere à Deo, nec mundus gloriari possit, filios Dei à se honoratos fuisse.

*Duo servus
Dei in pri-
mis nota-
da.*

VIII. Duo notanda sunt servis Dei, ne inter malos decipiantur zelo virtutis. Primum, quòd Christus Dominus noster nunquam honoretur magis in mundo, neque divina virtus magis eluceat, quàm cum servi ejus maximè conformantur crucifixo: qui cum student magis contemni, quàm tueri suum honorem cum inquietudine cordis, Virtus divina vincit, ac prævalet tandem. Secundum, ut caveant omni diligentia, improbis & persecutoribus occurrere per astutias & callidas inventiones: quia mansuetudo hujus Agnelli contrarium docuit: nam per vim superabunt eos mali, & ipsi minorem fructum habebunt. Illi enim, qui tantum quærunt sustentare seiplos, & oppugnare virtutem, sunt exercitati in arte circumveniendi & fallendi; cum alteri rei non studeant, quàm ut per suas machinationes colore inductas virtutem veram evertant, omni timore Dei posthabito. Sed qui cum pura virtute incedunt, vivunt in simplicitate ac pace interna & prudentia cælesti oculis divinis student placere in omnibus: à qua via si recedant, committunt se periculo confundendi virtutem. Inexpugnabilis est, qui dissimilibus armis pugnat cum his inimicis; quæ sunt, perfecta patientia, pura fides in Deum cum spe & puritate amoris erga proximum, oratio pro persequentibus, & silentium. His enim inest virtus divina, quæ reddit semper invictos. In summa, JESUS crucifixus imitatori suo dat victoriam & coronam.

EXERCITIUM

Circa irrisionem Christi in Cruce.

I.

*Adoratio
cum gratia-
rum actio-
ne.*

Adorent te, Deus animæ meæ, fili Dei vivi, & spes cordis mei! cælum & terra, justi & peccatores, Sancti & Angeli: & ego cum illis te adoro, te laudo & benedico, & infinitas gratias ago pro gravissimo isto tormento, quod dignatus es pati in cruce.

Verè,

Verè, Domine, mala tribulationum submerferunt te, fluctus dolorum & injuriarum suffocaverunt te: quia non tantum sanctissima tua membra impleverunt crudelibus & infandis doloribus; sed etiam divinitatem tuam, quæ dolorem pati non potest, affecerunt injuriis & fannis enormibus, quas zelus honoris divini, quo flagrabas, te fecit acerbissimè sentire. ^{Amor tormenta dulcia efficit.} Vulnere corporis, falsa testimonia, colaphos & alia plurima quantumvis gravia toleratu, amor tuus infinitus suavia reddebat, quòd iis demonstrare posses animum, quem gerebas erga peccatores, & obedientiam erga Patrem æternum: sed videre & audire irrisionem supernæ veritatis, & ipsius naturæ divinæ, quæ in te erat, velut in Unigenito Dei ac Domino, qui spiritum dedisti Prophetis, & novisti corda omnium, nunc autem haberes ut impostor; id enimvero nullus animo consequetur, quantum tibi tormentum creaverit. Quia non solum audire blasphemias istas horrendas gravissimum fuit; sed etiam zelus honoris divini & amor, quo flagrabas, immanibus modis intima viscera tua ussit & lancinavit. Et inter hæc tamen nullum verbum dicis, ac sis insultare ac triumphare tuos hostes: cumque sis ipsa veritas divina, cum tanta contumelia tractatus te non defendis, sed taces ac suffers, cum dicitur cordis tui tormento.

II. Quid hoc rei est, Amor divine? quid est, ô spes & gloria cordis mei? Usque ad eone vis pati omnia extrema, ut nihil in te sit omnino, quod te non cruciet? non flagella solum, crux & alia plurima; sed ipsa etiam sanctissima tua doctrina & veritas divina derisa & contempta, te in profundum maris dolorum demergit. obstupescit hinc anima mea, Deus meus! ohmutescit cor meum. Pro te, ô JESU animæ meæ! reservasti hoc mare, quia vires divinas habebas ad resistendum, & illis commensurari voluisti tuos labores: hoc enim excedit vires naturæ humanæ; & qui nonnunquam simile quid amore tui perferunt, tibi hoc debent: quia tuum opus id est. Ego te amo, Deus meus: amo te, bone JESU, propter hos incomparabiles dolores; ac desidero totus amore tui consumi. Is enim, quem erga me geris, non tantum legem non habet, neque mensuram in amando, sed etiam

noluisti, ut haberet in patiendo ac sufferendo. Confiteor divinæ majestati tuæ, Domine animæ meæ, infirmitatem meam: quia deficio in his omnibus, ita sum flaccidus.

*Gaudium
fit nobis pro
IESU ali-
quid posse
pati,*

III. Quando cogito, mi bone JESU! me pati posse amore tui, magno afficior gaudio in animo meo: quando mihi imaginor, me tui amore posse pati persecutionem à tuis inimicis, video mihi virtute ejusdem fieri alius homo: ac si servi tui me persequantur, etsi hoc durum sit, & intolerabile, cogito tamen te id velle propter mea peccata: sed quando in istud genus ærumnæ devenio, ut patiar propter veritatem, & propter id, quod facio ex obedientia tibi debita, ac scio esse virtutem, quam tu me doces; tunc enim verò tamen desiderem te imitari, tamen eam perfectionem non attingo; sed ipsa veritas fit meus tortor & carnifex; & quando video, adversarios, ut tueantur sua mendacia contra tuum honorem, veritatem omnino dubiam facere, confiteor tibi, Redemptor meus, deficere meam naturam sub hoc onere, ut ferendo non sit; & me tunc plus, quàm in omni alio casu potenti manu tuæ egere: licet agnoscam, ô Deus & Magister meus, decere, ut amem te sine mensura, & patiar, quidquid ordinas. Credo, & scio, te docente, decere ut patiar satis, taceam satis, tolerem satis, non indagando causam, rationem, vel unde id mihi proveniat; sed aspiciam tantum tuam divinam manum, & gratias agam pro omnibus, sinendo te facere, quod vis, & agnoscendo semper te mearum rerum & ærumnarum auctorem.

*Superbia
causa est
impatientia
nostra.*

IV. O Divine Agnelle, ô sapientia æterna! cum talia me doceas in cruce, & sic ardeas mei amore; quid est, quare non mutes meam languidam & abjectam naturam, ac transformes totam in tui amorem & imitationem? tu, Domine, habebas infinitam justitiam, & causam non ferendi has blasphemias; & ne quidquam superesset, quod passus non esses, te demisti etiam ad illas: at ego, si rectè me velim novisse, invenio, quòd ratio tam exiguæ tolerantia, & tam delicati sensus non proveniat à sola infirmitate naturæ, sed etiam à superbia, quæ radices egit in illa. Hoc totum, ô JESU, sanare debet amor, quem in cruce me doces, O misericordissime Magister animæ meæ, tu vides, quòd,
cum

eū invenio causas me non subjiēdi omnibus, quæ tu vis, plus patiar aliunde, quā tu volebas: sum enim tunc quasi phreneticus, & quasi stultus; nec habeo iudicium hominis Christiani, nedum tui amici. Noli, bone JESU, expectare, dum ita desipiam; sed miserere mei & sana me, quia scis, quid expediat huic animæ peccatrici, ut tibi similis fiat. Veniant cruces, ac tribulationes, ex quacunque parte tu voles, quomodo voles, & quantascunque voles: quia es fidelissimus amicus animæ meæ, ego sum securus & certus, quod à tuo favore & auxilio debeant provenire, subige me, Domine, obedientiæ tuæ: nec sit aliud jus aut ratio, quā ut tibi assimiler. Refrena, Deus meus, linguam meam, ut taceam: reprime cogitationes meas, ut imiter te: dilata cor meum, ut semper te sequar, & gaudeam pati pro te. Quando, ó Domine animæ meæ, videbo me ita affectum erga te, sicut es tu erga me? si te Deus meus, cum tantis excessibus amoris, voluisti mihi ostendere, te in omnibus illis recordari mei unius, ut intelligerem, quanti æstimes animam meam, & quā fideliter me ames; quid magnum erit, si ego vermīs terræ desiderem in omnibus rebus ostendere, quod cupiam te solum amare, pati tui amore. O divine amor! fac in me, quod pro me facis in te. Cū diligas me, etiam me inflamma tui amore: cū mihi des totum, etiam destrue totum, quod in me tibi non placet.

V. Accuso, Domine, Majestati tuæ meam cæcitatem, & quod sæpe multis in rebus parū sequar ea, quæ mihi conveniunt, etsi te non blasphemem ut illi: quia illi cogitant, si tuus Pater esset Deus, illum hoc ostensurum in liberatione tui à cruce: & si essent vera tua miracula, & doctrina, hoc te demonstraturum, descendendo de cruce. Et latro blasphemus omnem tuam potentiam in hoc repositam sentit, ut te ac socios liberes à tormentis. At ego, bone JESU, licet contrarium de te sentiam credamque, me accuso, quod, quando succurris meis necessitatibus, ac suppleas meos defectus, tunc laudem te bonum Dominum, tunc prædicem te misericordem, tunc extollam gratiam tuam, quā mei recordaris; sed quando me exerces adversis, quando defunt mihi necessaria, quando subtrahis mihi tuos favores, tunc non valde

prolixus

In mala
prospera
fortuna
Deus
equaliter
laudandus

prolixus sim in te laudando, nec suavem te reputem. Ita semper in omni re mihi ipsi sum similis, in omni re miser, flaccidus, cæcus, pauper, & nudus omni bono. Illumina, ô lux divina, hanc cæcitatem: non regnent in me hæc falsæ opiniones: doce me laudare, amare, agnoscere te in favore ac tribulatione, in prosperis & adversis: quia tu in omnibus idem es; in omnibus Pater meus, Amicus meus, fidelissimus Benefactor meus. In conversione unius latronis, & faciendo, ut æquo animo ferat, quæ promeruit suis peccatis, non minùs ostendis tuam virtutem, quàm si liberares eum à cruce. Faciendo, ut confiteatur centurio, te esse filium Dei, & ut ii, qui viderant, quæ fiebant, revertantur percutientes pectora sua, per hoc monstras quisnam sis, non autem te defendendo: quia virtus & potentia tua in interno consistit, non in externo solùm. Ideo, Domine, sinis prævalere mendacia tuorum hostium, in oculis rudis populi, contra tuas purissimas veritates; sed reservas cognitionem earum experientiæ amoris: hic enim est id, quod magni tu facis.

VI. O superne, ô divine Ignis, qui sub cinere malitiæ ac tribulationis ardes in corde tuorum! amor divinus, ô bone Jesu, purus amor est, ac te crucifixum & illusum recognoscit pro vero filio Dei. Neque hoc solùm credit & confitetur fide, sed etiam cordi puro sese communicat, ut desideret crucem. Et ô quales influxus in tale cor habet crux ista? ô quam lucem ei immittit? qualia secreta revelat? quales divitias internas manifestat? Reædificas in triduo resuscitando templum sanctissimi Corporis tui, sicut promiseras, & à cruce tanquam filius Dei vivi in momento erigis corda dejecta in viva templa tua: salvas crucifigendo, recreas torquendo, & siccando rigas; & eo, quo videris terrere, totum mutas, renovas, ornas ac ditas. O suavitas cordis mei! ô crucifixa libertas mei spiritûs! ô abscondita lux animæ meæ! ô filii Dei vivi! tam infirmus, ac tam fortis; tam abjectus, & tam honoratus; tam contemptus & tam plenus majestate; tam afflictus, & tam suavis; tam plenus doloribus, & tam amabilis! ô filii Dei! tu es ille, quem hi non noverunt: quia tantùm distant à tui cognitione, quantum ab amore, O amor excessive, pure & vere,
quia

*Qui virtute
se Crucis
magna par-
at.*


*Tantum ab
ejus cogni-
tione dista-
nt.*

quia me amas, rape me tecum per amorem: & quia ardes pro me, etiam me accende. Quid me vis, amor divine, cum tanta pro me pateris, ac toties me vocas? ecce me! fac tuum officium; transforma me, muta me, totum me consume in te: ô divine, ô superne, ô pulcher, ô suavis, ô unice amor! qui potes quidquid vis, & his, quæ pateris, vinci non potes.

O Sacratissima Virgo! adjuva, ut vulneretur cor meum amore Domini JESU: adjuva, ut fanetur amore, quo tu jam vivis, & stas patiendo cum illo ad crucem. O amatores cæli, estote liberales erga hunc pauperem, quem tantum amatis: & quia mea falsus est in hoc amore, amate etiam pro me, ut me inflammetis amore mei JESU. Amen.

ÆRVMNA XLVI. Perditio Iudæ, & sinistri latronis.

I.

 X amore nascuntur odium, timor, lætitia, dolor: odium contrariorum rei amata, timor amittendi, lætitia obtenta, dolor amissa. Qui novit, quantum Dominus noster amet peccatores, & considerat, quid fecerit, ut ostenderet eum amorem, quidque pro eorum salute sit passus, intelliget, quanto in gradu fuerint apud eum hæc tria: Timor, ne multi ex ipso suæ damnationis occasionem sumant, gaudium de salute, dolor de perditione multorum. Nec dubium est, quin fuerit unum è gravioribus ejus tormentis, præsertim in passione, memoria Filiorum Adæ damnandorum, quibus omnis labor & passio sua profutura non erat; quia remedia salutis, quæ pro illis tanto studio & impensâ parabat, non fuerunt adhibitura: singulariter verò sentiebat eorum perditionem, qui auctores & ministri suæ mortis fuerunt, pro quibus immolabat seipsum, & sanguinem suum. Nam dolendum erat, propter eadem ipsos damnari, quæ ab ipsis patiebatur pro ipsorum ac totius mundi salute. Eum dolorem Dominus expressit per Prophetam his verbis: *Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quasi dicat, triste solatium de hostibus

quantum
ab amore.

Amor est
fons huma-
narum pas-
sionum.

II. cap. 1.
v. 24.

XXX

hostibus